

Jakob Christoph Wolff

**Programma Funebre Quo Academiæ Rostochiensis Rector M. Jacobus  
Christoph. Wolffius ... Ad Justa Viro ... Domino Dn. Theodoro Matthæo Stevero,  
Illustrissimorum Comitum Et Status Ministrorum Secretario Quondam  
Dexterimo, A Moestissimis B. Defuncti Cognatis hodie decenti solennique modo  
parata, Frequenti comitatu persolvenda, Omnes Omnia Ordinum Academiæ  
Cives peramanter ac sedulo invitati**

Rostochii: Typis Joh. Jacob. Adleri, [1735?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1798333791>

Druck    Freier  Zugang





Circa 80 Prostoker Prinzenutb.-Programmen,  
meist Fehlfälle in vorliegen Bürgest. Familien oder.


(Zivin usg. in nobilitätsn. Familien:  
Settelbladt, Preen, Quistorp, Schöppffer, Schuckmann  
u. a.)

88 Strieke

Mklb Gen - 40  
2/3 II

Floris.  
1833.





Leichenprogramme, alphabetisch geordnet  
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.

L - Z.

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Lüger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Preusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelssen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelssen. 1744.
11. Michelssen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Isabe Dorothea, geb. Michelssen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelbladt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Nienck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelken, Maria, geb. Paulsen. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Prehn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Rassow, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schöppfer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie. 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Lüger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walther. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — Johann Valentin. 1755.
62. — Theodor Matthias. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680 - 1731.
66. — — Heinrich Christian. 1711 - 1736.  
— — Heinrich Christian. 1715 - 1736.
67. — Peter. 1733.
68. Töppel, Margareta Catharina, verh. Oldenburg. 1774.


69. Verpoorten, Reodor. 1728.
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.
72. Weiß, Gottfried. 1697.
73. Wetken, Johann Georg. 1716.
74. Wilde, Joachim. 1737.
75. Weidener, Johann Joachim. 1732.
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.
79. Woerath, Dietrich Samuel. 1753.
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.
81. Zeidler, Johannes. 1727.
82. Zinck, Johannes. 1732.



**PROGRAMMA FUNEBRE**  
 QUO  
 ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS RECTOR  
**M. JACOBUS CHRISTOPH.**  
**WOLFFIUS,**  
 GR. LINGU. PROF. PUBL. ORDIN. FCTATIS SUÆ h. DEC.  
 AD JUSTA  
**V I R O**  
 PRÆNOBILISSIMO AC LITTERATISSIMO  
**D O M I N O**  
**DN. THEODORO**  
**MATTHÆO**  
**SEVERO,**  
 ILLUSTRISSIMORUM COMITUM ET STATUS  
 MINISTRORUM SECRETARIO QUONDAM  
 DEXTERIMO,  
**A MOESTISSIMIS B. DEFUNCTI**  
**COGNATIS**  
 hodie decenti solennique modo parata,  
 Frequenti comitatu persolvenda,  
**OMNES OMNIUM ORDINUM ACADEMIÆ CIVES**  
 per amanter ac sedulo  
 invitati.

---

*R O S T O C H I I ,*  
 Typis JOH. JACOB. ADLERİ, SERENISS. PRINC. & ACAD.  
 Typographi.





A. 161 Ω



Um iterata vice, *Cives Optimi*, non sine magna  
animi ægritudine extremum persolvere debo officium  
Viro Prae-Nobilissimo Doctissimoque Domino THEODORO  
MATTHÆO STEVERO, Illusterrimorum Comitum & Sta-  
tus Ministrorum Secretario fidelissimo, cuius Exuviae hodie  
solenniori efferentur ritu, humanæ vitæ fragilitatem,  
vanitatem atque inconstantiam animo mecum perpen-  
dens, incidi in verba D. Pauli in post. ad Corinth. c. v. 6. communem  
vitæ nostræ conditionem h. m. depingentis Θαρρεῖντες δὲ πάντοτε, καὶ εὐδό-  
τες ὅτι ἐνδημεῖντες ἐν τῷ σώματι, ἐνδημεῖν ἀπὸ τῆς Κυρίας. Confidentes ergo  
semper sumus & scientes, dum habitamus in corpore, peregrinamur à Domino;  
iisdemque veritatem hypotheseos, hominum vitam, quam in his ter-  
ris vivunt, nil nisi meram esse peregrinationem; quam firmissime  
probatam, suffragioque Patrum & V. & N. Tti, imò ipsorum  
gentilium revelationis lumine licet destitutorum confirmatam agno-  
ri. Ita statim Primi parentes nostri, simulac fraude ac astutia  
diaboli decepti per lapsum à DEO defecerunt, ex Paradiso, ipsis ab  
Omnipotente Numine in habitaculum, si in concreata permanissent

A 2

rectitu-

rectitudine, alias concessso, in exilium abire, ipsorumque posteri patrium solum quam s̄epissime vertere, extraneasque petere terras coacti sunt, quod videre licet in Abrahamo, qui ex terra sua, ex patria, ex domo sua in terram, quam Dominus ipsi ostendit, emigrare ius-  
sus Gen. XII. Eadem quoque expertus est fata Nepos ipsius Jacobus, qui adhucdum Juvenis, non solum patrios deserere lares, & per integrum XX annorum spatum peregrinam colere terram, sed & senectute gravis ob annonae caritatem, cum universa sua familia in Ægyptum descendere debuit, ac, ut aliorum quam plurimorum exempla silentii peplo jam involvam, ipsius Salvatoris Nostri, ejusdemque Apostolorum vitam in his terris continua absoluam esse peregrinationibus, historiae evangelicæ satis superque testantur, ita v. g. Apostolum Paulum ad 3000 Milliaria itinere suo emensum fuisse perhibet Buntingius in itinerario suo Biblico. Omnia rectissimè igitur Jacobus suo jam tempore locutus est Pharaoni: Centum triginta annos peregrinatus sum Gen. XLVII. 9. nec non Rex & Propheta David Ps. XXXIX. 13. Advena sum apud TE & peregrinus, sicut omnes mei majores, quæ verba autor epistolæ ad Hebreos, omnes Patriarchas tum ante-tum post-diluvianos peregrinatores ac in exilio viventes nominans Cap. XI. repetit, item & Apostle Petrus omnes & singulos cohortatur, ut inquininos ac peregrinos, ut abstineant à corporeis cupiditatibus, quæ contra animam militans, 1. Peter. II. 11. quibus omnibus sufficientissime evictum est, vitam nostram humanam peregrinationi similem optimo dicendam esse jure, & verissima esse verba Augustini Qu. 91. in Levit: scribentis: Omnis homo est advena nascendo, incola vivendo, quia compellitur migrare moriendo. Idem quoque agnoverunt gentilium quam plurimi, ita enim Platonem in hac fuisse sententia, testantur verba ipsius: παρεπιδη-  
μία τις εἰσιν ὁ Βίος; & Anaxagoras quæsitus, annon patriæ curam gerebet? digitis in cœlum porrectis respondit: Εὐχὶ γὰρ, καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος; nec aliter de hac vita nostra judicavit Cicero in L. de Senect. inquiens: commorandi natura diversorum nobis dedit, non habitandi locum cum quo coincidunt verba Senecæ in Epist. CXXI. Pectus mortale nunquam magis divinum est, quam ubi mortalitatem suam cogitat, & scit in hoc natum hominem, ut vita defungeretur, nec domum esse hoc corpus, sed hospitium, & quidem breve hospitium, quod relinquendum est, ubi te gravem hospiti esse videas. Quæ cum ita sint, & sunt verba Augustini in tract. 124. in Joh. duas vitas sibi divinitus prædicatas & commendatas noverit ecclesia, quarum est una in fide, altera in specie, una in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis, una in labore, altera in requie, una in via, altera in patria; dolendum omnino est, dari inter ipsos, qui christiani audiunt, homines, qui patriam firmamque sedem in vitæ hujus exilio querunt non tantum, sed & invenire cupiunt, hincque, ut Psalmista loquitur Ps. XLIX. 12. suas domos æternas fore, suaque domicilia in alias atque alias ætates duratura cogitant, & perpetuam sibi fingunt felicitatem; vel, ut cum Seneca loquamus Ep. LXXXIII.: Fingunt sibi, crescere debere, quæcunque contigerunt, non tantum durare, & obliti petauri, quo humana jactantur, sibi fortitorum constantiam spondent. Mundum igitur & mundana ita adamant, ut cœlestem patriam per Christum nobis recuperatam, vel planè nunquam cogitent, vel saltem vilipendant,  
visibi-

visibiliaque invisibilibus multum præferenda esse reputent. Ejusmodi profani homines profectò DEI non ingredientur requiem, sed similes virginibus fatuis fores patriæ præclusas invenient audituri responsum Domini: *non novi vos.* Longè alia igitur incedunt via fideles Christi assec læ, qui se hospitibus similes ad tempus in orbe vagari, civitatemque hic manentem non habere probè agnoscunt, quorum politevma in cœlis est, ædificiumque à DEO paratum, illudque sine manibus æternum exspectant, seque, uti hic sunt cosmopolitæ, ibi futuros esse uranopolitas firmiter credunt, hi, inquam, cum satis perspectum habeant, se, nisi iter suum per hocce mundi desertum ex voluntate Summi Numinis instituerint, idemque juxta præscriptum supremi Legislatoris prosecuti ac emensi fuerint, cœlestern nunquam intraturos fore patriam, summa animi sollicitudine itineri huic semet accingunt, omnibusque, ad viam hanc satis arduam satisque periculosam feliciter absolvendam requisitis sese instruunt, ne à justo fidei ac morum tramite declinent, nec mundi hujus illecebris implicitentur, sed contemtis omnibus hujus seculi voluptatibus, superatisque peregrinationis suæ incommodis, exoptatum demum attingere queant portum, æternoque, quod in cœlis est, potiri domicilio; Hæc autem ut rectè peragantur, felicissimusque iisdem aliquando imponatur finis, necessum ipsis est, ut ad instar viatoris prudentis, omnium primò de fideli itineris socio ac Hodogeta, cui via satis cognita, solliciti sint, cumque haud fidelior inveniatur viæ Dux in universo terrarum orbe, præter DEum, ipsum ardentissimis efflagitare debemus suspiriis, ut erudiat nos, & quâ via nobis sit eundum, ostendat, nobis oculo suo consulens, ut gressus nostros sustineat in orbitis suis, ne nostra labefiant vestigia. Porro quoque, sicuti populum Israëliticum in itinere suo per desertum Iova antecepsit interdiu in columna nubis, viæ ostendendæ gratia, nouæ vero in columna ignis prælucendi causa, omnes pios viatores verbum DEI, quod pedibus suis lucerna & lux in via est, per dies noctesque sedulò legere, vel audire, lecta auditave diligenter ruminare oportet. Hoc enim ipsum veram nos docere potest Hodosophiam, Quisque hac utitur pyxide magnetica, & cum Davide Ieriò precatur: *peregrinus in terris ego sum, ne mibi subtrahere præcepta tua, ab omni tutus esse potest errore, scriptura enim S. à tergo nobis quasi acclamat: Hæc est via, ite per eam, nec ad dextram sinistramve deflectite,* hæc subministrat omnia in itinere necessaria ac proficia, reddens nos certiores de Spiritus S. gratia, quâ ducimur in omnem veritatem, quæ tanquam virga atque pedum nosmet consolatur, ut, licet per atram lethiferamque vallam ingrediamur, nihil malum metuamus. Christi caro vivifica ejusque sanguis recreat ac reficit nos, ut cum Elia ad montem DEI usque progredi queamus, sacramen-  
tum denique baptismatis lavacrum suppeditat aquam, quâ pro more gentium orientalium fordes, quibus in hac mundi via fœdissima saepius proh dolor! inquinamur, abstergere valemus. Verum enim vero, uti viator in itinere constitutus nulla planè re, quamvis sit pergrata & accepta, à via semel ingressa sese retinere patitur, nec in diversorio, multis licet commodis ac voluptatibus invitatus diu

B

moratur

moratur, sed spretis hisce omnibus pedem suum promovet, inque patriam ut revertatur terram, omnem movet lapidem, nec minus omnia itineris incommoda æquiori perfert animo, certissimam hanc foves spem, si modo domum redire licuerit, omnia finita fore incommoda, sibique tum demum omnia successura esse ex voto; ita & spiritualis viator bona terrestria, utpote quæ dona Benignissimi DEI omnino sunt habenda, imò ad victum & amictum nostrum necessaria, pro merito quidem æstimat, animum autem ne iisdem adjiciat, ipsisque in ignominiam summi Creatoris abutatur, summopere cavit, optimè enim novit, ejusmodi sarcinis ac impedimentis, quibus in morte non amplius frui licitum est, peregrinationem suam reddi graviorem, hinc nec iisdem delectatur ita, ut donorum cœlestium ac spiritualium præ iis obliscatur, sed tranquillo potius animo ja-  
eturam ipsorum patitur, sique ex nutu Creatoris ea sibi viderit sur-  
repta, nomen Domini debitum evexit laudibus, certissime confisus,  
DEum ea, qua ad sustinendam vitam requiruntur, sibi neutquam  
denegaturum fore, sua igitur sorte contentus, monitum Isocratis:  
*σέργε τά παρόντα*; probe observat, consiliumque Pauli, ut, qui utun-  
tur hoc mundo, eo non abutantur, sibi quoque datum reputat, ma-  
joriq[ue] fertur desiderio in patriam & bona ista cœlestia, quibus se,  
itinere feliciter finito, in omne seculum ex mera DEI gratia, macta-  
tum iri, certò certius persuasus est. Hanc ob rem terra ipsi sordet,  
quando cœlum adspicit, quæque à tergo sunt, obliviscens, & ad an-  
teriora se intendens, ad scopum contendit, ad palmam, ad quam  
superne vocatus est divinitus per Christum JESUM. Maxima proin-  
de ipsius in his terris cura est, ut DEO placeat, omnemque navat  
operam, ut, quam diu in his terris ambulat, peregrinationis suæ  
tempus religiose ac in timore DEI transigat, & sese gerat, uti Domino  
dignum est. ut ei omnino placeat, in omnibus rectè factis fructum  
ferens, & in DEI cognitione crescens. Multo minus ab hac semel in-  
gressa via recedit, verum eandem DEO duce & auspice DEO eò us-  
que prosequitur, donec tandem ad promissam terram Canaan, lacte  
& melle affluentem, cœlestem illam civitatem DEI, per varios licet  
casus, perque tot discrimina rerum pervenerit, æternaque fruatur  
requie. Nullo enim modo viam fidei ac virtutis ingressum esse suf-  
ficit, sed requiritur omnino, ut eandem quoque ad ultimum vitæ  
halitum usque persequamur, omnia enim tum demum bona sunt  
clausula quando bona est, ac, quemadmodum Gregorius M. Libr. I.  
Moral. c. XX. satis concinnè scribit: *incaſsum bonum agitur, si ante  
terminum vitæ deseratur, quia & fruſtra velociter currit, qui, priuſquam  
ad metam veniat, deficit.* Quisquis autem ad finem usque perseverat, is  
servabitur, inquit Chhristus Matth. X. 22. O! igitur felices terque qua-  
terque felices, qui post habitis omnibus bonis terrestribus, advenæ  
& peregrini in hoc mundo tanquam diversorio versantur, neque ex  
mundanis fœditatibus, Domini & Servatoris JESU Christi cognitione  
semel elapsi, iisdem rursus implicari patiuntur, sed ad nutum at-  
que beneplacitum Creatoris omnes vitæ suæ gressus unicè dirigere  
allaborant, nullisque hujus seculi vel voluptatibus vel miseriis com-  
moti à justi tramite recedunt. Advenarum enim & peregrinorum  
præpri-

præprimis in S. codice magna habetur ratio ; legeque divina serio  
præceptum legimus , ne injuriæ illis inferantur , ne defraudentur,  
ne supprimantur , Exod. XXII. XXIII. Levit. XIX. DEO sunt præ  
ceteris commendatissimi , Deut. X. 18. 19. Jer. VII. 6. Zach. VII. 10.  
Mal. III. 5. etiam si igitur his in terris variis sint expositi periculis,  
tentationibusque variis diaboli mundi & carnis , qui in devia eos  
seducere satagunt , obnoxii , nil metuendum ipsis est . DEUS enim  
dextra sua eos apprehendit , consilio suo dicit , & in honorem co-  
optat , contra quem omnes machinationes diabolicæ , mundi persecu-  
tiones , imò ipsa mors minime valent , sed in his omnibus superant  
propter eum , qui dilexit ipsis . Absterget enim DEUS omnem lacry-  
mam ex eorum oculis , nec amplius mors erit , neque luctus , ne-  
que quiritatus , neque labor erit amplius . Quodsi juxta effatum  
Christi , cum mercatore bonas margaritas quærente procellas atque  
tempestates hujus mundi patientes sustinuerint , æternæ beatitudinis  
intrabunt portum , justitiaeque coronam è manu Domini accipient ,  
imò Christus ipsis consolabitur in æternum . Hæc , quæ hactenus  
allata sunt , ut pluribus probemus exemplis , mihi prorsus superva-  
caneum videtur , cum s. litteræ non solum numerum ejusmodi via-  
torum in cœlestem patriam jam receptorum recenseant quam maxi-  
mum , sed nec hodie inter nos deficiant exempla eorum , qui post-  
quam per flebilem transierunt vallem , in æterna admissi sunt domici-  
lia . Hisque accensendus sine dubio est B. noster STEVERUS cuius  
exanime corpus terræ jam mandabitur . Hic certe , si quis alias , mun-  
dum peragravit , perque varios anfractus viam suam decurrit atque  
tandem beata morte cœlesti redditus patriæ , æterna jam fruitur re-  
quie , atque in conspectu DEI Altissimi summis exhilaratur gaudiis .  
Quæ ut singulis constent , Beatique memoria maneat nunquam inter-  
moritura , vitæ ejus curriculum erit annexendum , quod cum B.  
Defundi Cognati litteris consignarunt ipsi , iisdem quoque verbis illud  
hic inferendum duxi ; Sunt autem sequentis tenoris :

Non sine omniæ historia vitæ appellari solet vitæ curriculum ;  
& in vernacula : der Lebens-Lauß ; Nam ita annos nostros peragra-  
mus , ac si curreremus , & quasi ad metam quandam cito pede fe-  
stinaremus . Et quia ipsa longævitas comparative brevissimum exhi-  
bet spatium , non absque sale diriminutivo curriculi in latinis utimur .  
Imò quamvis nemo detur qui non suo modo mundum percurreret ,  
tamen nonnullorum in fatis est per ampliores ambages viam suam  
absolvere . Vir ille quem familia nunc luget , quem tot boni desi-  
deratissimum appellant , suo exemplo sistit exemplar curriculi vitæ  
admodum notabilis , id quod B. L. ex sequentibus habeat : Nasceba-  
tur hicce Beatus DN. THEODORUS MATTHÆUS STEVER , heic  
Rostochii Anno MDCLXVI. Mense Martio , PATRE Viro Prænobil  
atque Prudentiss. B. Dn. JOHANNE JOACHIMO STEVERN , Senato-  
re hujus Reip. meritissimo , Viro , quem Bacmeisterianum Programma vetat  
mori ; Et MATRE Pientissima Matrona B. ANNA NGENHUGENS ,  
cui parentalia fecit B. Cancellarius de KLEIN ; Sistunt nobis dicta  
funebria majores utriusque lineæ , AVUM PATERNUM B. Dn  
JOHANNEM STEVERUM , Ararii publici apud nos Præfectum lauda-  
tissimum

tissimum, ipsiusque Conjugem; virtutibus condecoratissimam B.  
TILSE WEDIGEN. Ulteriores ascendentes linea paternæ hac se-  
rie exhibentur: B. Proavus Dn. JOHANNES STEVER, Civis & Ce-  
revistarius nominatissimus, & Proavia B. ANNA KRUMWIEDEN;  
Abavus B. TILEMANNUS STEVER, Senator Stadtagensis in  
Westphalia meritissimus, Abaviaque B. CATHARINA GROTHEN.  
Merentur qua hanc lineam insuper omnino memorari B. JOHAN-  
NES KRUMWEDDE, Celissimi Comitis Schaumburgensis Secretarius,  
ejusdemque Conjux, B. ANNA BRINCKMANNS; pariter & B.  
JOACHIMUS WEDIGE, Rostochiensis Senator, ejusdemque thori so-  
cia B. WENDULA NETTELBLADTS, quorum Majores erant,  
B. JOACHIMUS WEDIGE, Mercator, & ELISABETHA BOLTEN,  
ut & B. HERMANNUS NETTELBLADT, Senator Rostochiensis ejus-  
demque Conjux B. TILSE WITTINGS. Qua lineam maternam,  
A VUM venerabatur Prestaniss. Virum B. JOH. NIENHAGEN, Pre-  
fectum Dualem Gustrovio-Suanensem dexterrimum, AVIAMQUE B. AN-  
NAM HAVEMANNS. Proavus fuit B. JOHANNES MEGEN-  
HUGEN, Administrator prædii ducalis Blisekow, & Proavia B. ANNA  
LEPPINS, filia B. DN. BARTHOLDI LEPPINS, Senatoris Rostoch.  
Reliqui Majores materni, quorum exstat memoria, fuere B. JOH.  
HAVEMANN, Senator Krœplinenensis, Proavus, & Proavia B. MAR-  
GARETHA KÖSTERS; Abavus B. JOHANNES HAVEMANN,  
Consul Krœplinenensis Abaviaque ANNA KRÜGERS. Ita legimus, ita  
accepimus, salvis ulterioribus.

Sed pergendum erit ad specialiora; BEATUS NOSTER,  
qui ceu filius natu minimus, per primum quinquennium B. Patris  
cura tantum gavisus est, à DEO devotissima Matre concreditus fuit  
fidelissimis pietatis & literarum instillatoribus, & post aliquot annos  
Wismariensis Scholæ inclutæ Præceptoribus commissus. Perrexit  
illinc ad Gymnasium Güstrovicense aptusque jam tum fuit habitus, ut  
ibidem B. Præfecti præsidiarii SCHILDKNECHTEN Liberis infor-  
matione præcesset. Rediit ad Patriam Academiam, & posteaquam in-  
ter Studiosos relatus Studioque Juris, proprio motu, consecratus,  
audivit DDres tunc temporis celeberrimos. Post Annos selegit eun-  
dem B. DN. DE MOLDENIT supremus Commissarius bellicus S. Regiae  
Majestatis Daniæ Glückstadii degens, ut cum filio, patriæ virtutis &  
muneris postea herede, post informationem domesticam, ad Acade-  
miam Viadrinam fese verteret, famæque Strykio-Coccejanæ fructus  
coram perciperet. Relictis Musis illis, cum suo Moldenitio ad Ba-  
tavos tendit, speciatimque in Acad. Ultrajectina tempus utiliter con-  
sumpsit, domumque reversus, hac ephoria talem sibi conciliavit lau-  
dem, ut a Viro Per-Illustri, Cubiculario Regis Daniæ Superiori, DNO.  
DE KNUTHEN, filio adjungeretur peregrinationum comes atque  
Director: Ivit igitur, circa finem seculi elapsi, ad Batavos, Anglos &  
Gallos, & non instar talpæ, sed ubique in luce & Splendore Aularum  
& solennitatum ambulavit. Observavit magnificantiam aulæ Regis  
Galliarum: Vedit Academias ejusdem, speciatim Blesiensem, in qua  
B. Frater Civis fuerat, Vidisset plura pluresque, nisi bellum tunc tem-  
poris in gravescere successorum abitum ex illo regno suavisset; Im-  
pedivi

pedivit idem bellum peregrinationem Italicam; Et redditus in patriam ita fuit dispositus, ut post visos Helvetos, speciatim Genevenses, Viennam peteret, indeque per Bohemiam Saxoniamque redderetur Hamburgo & Hafniæ. Non ita peregrinationem confecit ceu grus, quæ abit grus & credit grus, sed prudentia ejus apodemica tanta fuit, ut optandum esset, ut ipsi, experientia edocto, placuisse, methodum peregrinandi typis concedere. Nam quæ ad preces nonnunquam, (ægrè enim narrabat exotica, vel fata itinerum, ne videretur aliquid glosiolæ affectare) recensebat, adeo erant pragmatica, ut dolendum sic ea paucioribus tantum fuisse communicata.

Sed quorsum nunc sese vertit noster Raphael apodemicus forte ad officium, ad conjugium, & quæ cœtera texus habere solet; Non; sed via, quæ semel trita, ad instantiam illustris Consiliarii Hollasti B. CHARISII, iterum erat ambulanda; Concredebatur ergo illi DN. CHARSIUS, Junior, quem post studia Kilonii tractata & post visam Galliam & alias terras, reddidit feliciter Familia splendidissimæ. Fortè nunc substitut? Non adeo, sed Illustrissimus COMES DE BROCKTORFF, Consiliarius S. Regiæ Majestatis Danorum Intimus & Ministrissimus, laitis conditionibus eundem persuasit, ut filiorum informationem domesticam ad tempus, & mox Ephoriæ in Academia equestri Hafniensi in se susciperet; Tribuit eidem non solum munus Secretarii intimi, sed & promovit eundem ad alias majores in dicta Academia honores, quos magis dissimulavit quam de se prædicari voluit modestissimus Beatus Noster. Commutavit hanc stationem cum officio Secretariatus apud illustr. Consiliarium intimum DE PLESEN, qui, quoniam fratrem Beati natu majorem JOACH. FRIDERICUM SEEVER, probatissimum invenerat, eundem in arcuoribus expeditionibus præ multis aliis secum habere avebat. Præstítit se talem, ut, nisi pestis ingravescens eidem discessum a. 1713. Hamburgo suassisset, usque ad ultima fata dieti magni viri, ibidem substitisset. Venit igitur in patriam, & sua sorte contentus, vitam privatam omnibus publicis officiis & oblatis, & facile obtainendis, plane prætulit. Nec tamen otio consumpsit annos, sed exoptata conversatione practica prudentibusque consiliis multis, eadem ambientibus, præsto fuit. Inter alias eruditio[n]is sustentationes incubuit sacris literis, & quia in linguis, Græca, Hebraica & Arabica insignes fecerat progressus, scrutinio S. Scripturæ ita invigilavit, ut difficulter se inde divelli pateretur. Quæ in his investigationibus annotavit, imò Versionem totius Veteris Testamenti textui originali conformatissimam, opus XXII. annorum, cuius ultimas lineas impedivit senectus, inter suppelletilem literariam, ex libris varii idiomatis, præsertim Anglici, Galici, italici, Hispanici & Dani constantem, omnino nos deprehensuros speramus.

Ita disposito vitæ genere frustra B. lector historiam Conjugij hujus Viri quæret, ut ut enim cœlibatum nemini adeo commendaverit, tamen ipse suo themati eundem haud convenire credidit; Tribus, non gratis, ceu supernumerarius inter mortales fuit, sed DEO & proximo sedulus & promptus inserviit. Et quia in cognitione rerum divina-

rum multum ferebat puncti, cultui divino multa cum circumspectione sese dicavit. Testabatur idem frequentatio sacrorum conventuum, & usus sacræ Synaxeos haud infrequens; Nam quo magis sensim videbatur appropinquare extrema hujus vitæ dies, eo minus vanis & terrestribus sese ingerebat, sed potius studium artemque bene morendi tractabat.

Pulvis ultimis temporibus alios libros tegere cœpit, sed qui pietatem alere poterant, in specie librum *Dni. de la Placette s. t. la Mort des Justes, ou la maniere de bien mourir*, nocturna diurnaque versabatur manus ut inde, sentiens virium corporalium decrementum, spiritum strenuum redderet; Sic enim res sese habebat, quod per annum nunc agonizantem variæ corporis afflictiones mortem instantem præfigirent.

Audiatur Medicus noster & inter nos DN D. STEVERUS: Cum morbum Beati mei Patrui, qui ipsi fuit ultimus expōnere debo, flebile hoc officium, quod dura fata & diu adhuc differenda jam exigunt paucis expediam. Obtinuerat Vir optimus corporis constitutionem a nativitate firmam & adeo felicem, ut per integros fere, quos in ornatum familiæ vixit septuaginta annos de nullo sanitatem valde turbante affectu sit conquestus. Tres interim graviores morborum insultus merito memorandi sunt quorum primus ante clapsos tres annos, cum solstitium hybernum appropinquaret, sub febris catarrhalis schemate illum invasit & per aliquot hebdomades lecto graviter affixum detinuit. Ex hac tamen lucta DEO adjuvante integre emerit. Sed cum fine insequentis anni circa tempus solstitii iterum & secunda vice aderat novus hostis. Tum enim Apoplexiæ insultus, licet cito debellatus, capit is insignem debilitatem cum pedum tumore reliquit. Ita ut propter animum a pristina alacritate desuescentem membrorumque, imprimis pedum vacillantium decrescentem vigorem, amici & familiares pessima ominarentur, & pro vita illius timarent, quem adhuc diu cupiebant superstitem. Et ecce! imminent tertia vice hiemale solstitium & adest febris cum lateris sinistri dolore pungitivo, respirationis difficultate, muci tenacissimi excreatione, verbo: Pleuritis. Hicce morbus senibus saepe funestus nostrum tam graviter affixit, ut licet

omnia

omnia quæ usū esse poterant sedulo adhiberentur, hora tamen ingrueret fatalis. Sexto enim morbi die inter adstantium preces & suspiria animam pie ac devote Creatori suo reddidit. Patruus parentis loco suspiciendus nobisque acerbum sui desiderium reliquit.

Recte satis: pie enim ac devote mortuus est, imo nulla signa invitii edidit.

Memorabile est, quod ante paucos dies cum morti vicino familiari atque contiguo jam B. & fere unā cum eodem mortuo DN. VOSSIO, Senatore merissimo de extremis differens, heroice dixerit, das Todes-Stündlein brachte nur einen dergleichen kleinen Schauer mit sich, welcher durch Gottes Gnade sehr leicht und balde zu überstehen. Et hoc judicium suū exemplo comprobavit esse verum.

Ultima enim nocte adstantibus & precando praeuentibus eundemque comitantibus pium, atque inperterritum sese exhibuit. Testis est *Vir maxime reverendus vere religiosus atque cordatus, DN. OTTO PETRUS MÖLLER*, Rever. Ministerii Senior, & *Mysta Jacobaeus* admodum venerabilis, is enim, postquam paucas ante septimanas sacræ cœnæ viatico eundem instruxerat, ultima ante obitum horula adeo præparatum ad bene moriendum eundem invenit atque reliquit, ut omnibus paria extrema sint appreccanda. Sustentavit devotionem aliorum incitatio non solum sed ipse etiam proprio motu partim preces inchoavit, partim continuavit; In specie illam acclamationem: *Jesus du Sohn Dauid, erbarme dich meiner, cordicitus repetiit, & cum recitaretur illud: Herr meinen Geist befehl ich dir, sequentem versiculum: Gloria Lob, Chr und Herrlichkeit -- nullo præeunte, ipse recitavit, & tandem d. 15. hujus mensis hora septima matutina, anno ætatis LXIX. & quod excurrit, placide obdormivit. Hæc est Beati hujus Viri vitæ & mortis Historia. QVI BONI ESSE CUPIUNT VIRTUTEM EJUS IMITANTOR!*

Atque hæc Beati Nostrī biographia luculenter nosmet edocere potest, *Cives Lebissimi*, vitæ nostræ conditionem, hominis peregrinantis conditioni simillimam. Licet enim non in omnium fatis sit, ut eodem modo, quo B. STEVERUS, orbem hunc pervagarentur, sed concessum sit quibusdam, ut in patrio solo semper vitam degere eademque defungi queant, certò tamen certius est, omnibus currendum adque metam properandum esse, quamobrem & omnium omnino interest, si cælestis patriæ aliquando fieri cupiunt incolæ, ut prudenter ac sollicitè iter suum instituant, ac ab omnibus cursum suum præpedientibus impedimentis diligenter caveant, quo & fidei suæ finem, animarum scilicet salutem reportent, ac, quando terrestris suæ domus tabernaculum dissolutam fuerit, ædificium habeant à DEO, domum nullis manibus factam, sempiternam in cœlis. Quam cum ingressus jam fuerit B. STEVERUS, de reditu suo in patriam

congratulamur ipsi merito, quodsi enim licitum non modo, sed de-  
corum quoque est, ut hominem post exantatum iter periculosis-  
mum votivis excipiamus acclamationibus, quantò magis applauden-  
dum Ipsí erit, quod feliciter emenso hoc vitæ suæ curriculo æternam  
jam possideat patriam, omniumque bonorum cælicolis à DEO tribu-  
endorum particeps non modo factus, sed & mansurus sit in Ieculorū  
secula. Lugent equidem Cognati mortem ipsius, nec immerito,  
amiserunt enim Virum, cuius prudentissimis consiliis haetenus opti-  
mo cum fructu usi sunt, iisdemque, nisi summus vitæ necisque Arbit-  
ter aliud statuerit, imposterum quam libentissime fuissent usi. Ast  
quando secum reputant cœlestem illam gloriam, quâ Beatus noster  
in cœlis jam potitus est, certissime confido, eam ipsi invisuros mi-  
nimè esse. Conseruet modo DEUS FAMILIAM STEVERIANAM  
inter nos florentissimam per plurima, si fuerint, secula salvam, o-  
mnique bonorum genere cumulatissimam, omniaque ab eadem cle-  
mentissimè avertat mala.


Quod reliquum est, Cives O. O. Honoratissimi, officium ve-  
strum, quod Viro Litteratissimo debetis, ut promptiori exsequamini  
animo, frequentique comitatu justa exsolvatis Bratè Mortuo, insi-  
mulque peregrinationis vestræ memores, lateribus succinctis, calce-  
atis pedibus, baculosque ad instar festinantium, in manibus te-  
nentes ambuletis, sicut DEO convenit, officiose  
vosmet rogito ac hortor.

P. P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus  
Anno D. MDCCXXXV. d. xxiii. Dec.

Conventus fiet in Æde Jacobæa hora prima pomeridiana  
audita,











in S. codice magna habetur ratio ; legeque divina serio legimus , ne injuriæ illis inferantur , ne defraudentur , antur , Exod. XXII. XXIII. Levit. XIX. DEO sunt præ nnendatissimi , Deut. X. 18. 19. Jer. VII. 6. Zach. VII. 10. etiam si igitur his in terris variis sint expositi periculis , usque variis diaboli mundi & carnis , qui in devia eos ragunt , obnoxii , nil metuendum ipsis est . DEUS enim eos apprehendit , consilio suo dicit , & in honorem co- ra quem omnes machinationes diabolicæ , mundi persecu- ipsa mors minime valent , sed in his omnibus superant n , qui dilexit ipsis . Absterget enim DEUS omnem lacry- rum oculis , nec amplius mors erit , neque luctus , ne- itus , neque labor erit amplius . Quodsi juxta effatum m mercatore bonas margaritas quærente procellas atque hujus mundi patientes sustinuerint , æternæ beatitudinis ortum , justitiæque coronam è manu Domini accipient , se ipsas consolabitur in æternum . Hæc , quæ hactenus is probemus exemplis , mihi prorsus superva- s. litteræ non solum numerum ejusmodi via- riam jam receptorum recenseant quam maxi- inter nos deficiant exempla eorum , qui post- nsierunt vallem , in æterna admissi sunt domici- us sine dubio est B. noster STEVERUS cujus jam mandabitur . Hic certe , si quis alias , mun- ue varios anfractus viam suam decurrit atque ælesti redditus patriæ , æterna jam fruitur re- ctu DEI Altissimi summis exhilaratur gaudiis . ent , Beatique memoria maneat nunquam inter- curriculum erit annectendum , quod cum B. s consignarunt ipsi , iisdem quoque verbis illud Sunt autem sequentis tenoris : historia vitæ appellari solet vitæ curriculum , ebens . Lauff ; Nam ita annos nostros peragra- us , & quasi ad metam quandam cito pede fe- ipsa longævitas comparative brevissimum exhibe- que sale diminutivo curriculi in latinis utimur , letur qui non suo modo mundum percurreret , in fatis est per ampliores ambages viam suam quem familia nunc luget , quem tot boni desi- sit , suo exemplo sistit exemplar curriculi vitæ d quod B. L. ex sequentibus habeat : Nasceba- THEODORUS MATTHÆUS STEVER , heic LXVI. Mense Martio , PATRE Viro Prænobil . JOHANNE JOACHIMO STEVERN , Senato- o , Viro , quem Bacmeisterianum Programma vetat nitissima Matrona B. ANNA NÆGENHUGENSI . C. Cancellarius de KLEIN ; Sistunt nobis dicta usque lineæ , AVUM PATERNUM B. Dn ERUM , Ærarii publici apud nos Præfectum lauda- B. 2

